

CUM POTENTUM ALIQUIS AD PENITENTIAM ACCEDIT DE QUO IGNORATUR
UTRUM CORDE AN PRAESENTI TANTUM UT ASSOLET HOC AGAT HUMILITATIS.
HEC ORATIO SUPER EUM POST PSALMOS ET LETANIAM FUNDATUR.

Domine deus creator hominum. redemptor. amator atque salvator.
qui neminem vis perire. sed omnes salvos fieri et ad agnitionem
veritatis que tu es pervenire qui ut demonstrares non ob aliud
te de celis descendisse et in carne quam pro nobis assumpseras
sputa flagella. colaphos. irrisiones. ipsumque universis poenis
crudelius crucis patibulum sustinuisse. nisi ut peccatores morte
tua ad vitam reduceres. sepius cum publicanis et peccatoribus
discubuisti. et a peccatrice muliere tangi ungui atque lavari
non horruisti. melliflua pietatis tue voce clamans. non veni
vocare iustos sed peccatores ad penitentiam. maiusque gaudium
esse dixisti super uno peccatore. tamen penitentiam agente quam
supra nonaginta novem iustos non indigentes poenitentia. ne
vero hac securitate torpescerent. et ad vite vias citius redire
differrent. veluti qui spatium aliquod vite atque penitendi a te
sibi collatum haberent. alio evangelii loco dixisti. Vigilate.
quia nescitis diem neque horam. exemplo cautele perditionem
eorum qui in Sodomis et diluvio perierant proponens. ut peccatores
non peccata. poenitentiam te amare doceres. non scelera. Nam et
hos quadragesime sanctos dies tu sancte sanctorum atque sine pece
cato solus. ideo ieiunando sanctificasti sanctificatosque nobis
providisti ut in his totius annidelicta deplorantes purificati
lacrimis poenitentiae. orationibus. elemosinis. vigiliis. ceteris-
que pietatis operibus per apostolum tuum nobis promulgatis. ad cel-
celebrandum pascha sanctissimum et corpus et sanguinem tuum dignis
labiis et mundo corde sumendum accedere possemus. Nisi enim illud
sumimus mors nobis est. Ita enim dixisti. Nisi manducaveritis
carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis
vitam in vobis. et autem indigne sumimus. iudicium damnationis
nobis heu dolor exagaramus. Ita quippe tuo spiritu repletus
dicit apostolus. Qui manducat inquit et bibit corpus et sangui-
nem domini ~~et~~ indigne. iudicium sibi manducat et bibit. Te